

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 89.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos.*

Lysium-Meum. Die Martis 11. Dec. 1810 (Neov. 27. Nov. 1810.)

Nunquam grata est veritas, sola nihilominus
veritas amabilis est. —

Boileau.

Litterae ex Mundo Inferiore. —

Multi sunt, qui Novellas mendaces paginas adpellitant, quin vel sensum vocis veritatis sufficienter adprehendendo sint. — Sunt alii, quibus animi adfectus rationem intercipit, quique cognoscendae veritati oblectantur. Si fieri posset: ut iis speculum obponatur, quo quaevis praeteriti temporis eventa, praesentis juxta, et futuri conspicienda essent, tum affectus oculos iis manibus obvelarent, dicerentque: nihil a se videri. —

Si rei duntaxat conceptibilitas mensura veri esse deberet, tum luculentissimas et evidentissimas experientias ex elencho veritatum delendas haberemus.

Nec est argumentum pro ambiguitate, et improbabilitate veritatis cujuscumque, quae perniciem causare, abusuque ansam praebere posset, si oculis vulgi in simplicitate

sua proponeretur. Quid ei culpae dari potest: turbidos oculos impares esse, elegantias suas perspicendo et fulgori ejus sustinendo?

Qui persequitur meditantem, sub praetextu ejus opiniones Civitati periculosas esse posse, propemodum tam insulse agit, quam qui angebatur: studio Algebrae annoae in foro caritatem intensum iri.

Veritati ab aevo cum turba adversariorum negotium erat. Usitatissimi fontes discrepantiae nostrarum mentis sententiarum ab aliorum cogitandi ratione, sunt sinistri conceptus mentis, defectus intelligentiae atque turba praejudicatarum opinionum, ut sunt: novitas, antiquitas, obscuritas, auctoritas e. s. p. —

Maxime periculosi vero hostes veritatis sunt adfectus. Largiuntur ii rebus novam formam — augent eas, suntque vetustissimi et callidissimi Sophistae. — Adfectu incallescens Mahometis assecla Coelos plenos nigroculis virginibus in cruentis proeliis conspici.

Nihil adeo forte, adeo irrefragabile veritate. — Omnes terrarum populi, quaevis Saecula tandem de ea testimonium perhibent. Inexhauribile hominis desiderium felicitatis ei attentas praebet aures, dumque veritas tandem id convincit, omnes humanae vires ejus instrumenta fiunt.

Quovis Saeculo tempus humanum Genus aliquot veritatibus donavit, at restat

adhuc bona pars donorum quae impertien-
da habet.

Saepe numero evenit, ut homo in veri-
tatem impingat, id duntaxat infortunium est,
non semper sciri eam esse inventam. Phi-
losophiae magna analogia est cum Iusu Coe-
cutientium, velo obligantur oculi, misellus
manu quaeritat, palpitatque, aliquem adpre-
hensurus, quem si capit, ejus nomen enun-
ciandum habet — quod si fallat — eum di-
mittere et denuo ordiri laborem debet —

Eadem cum veritate ratio est. Philo-
sophi, quamquam oculi obligati sint, fit ni-
hilominus quod veritatem adprehendant, at
demonstrare nequeunt, eam esse, et eodem
ipso momento eorum conspectui subdu-
citur. —

Veritates a manu supremi Numinis opa-
co in nemore et inaccesso saltu hinc et illinc
dispersae et distributae sunt. Juxta hoc ne-
mus ducit regia via, quae innumera iter faci-
entium turba referta est. — In his deprehen-
dere est sciendi curiosos, quos densa illa opa-
citas magis adhuc exstimulat ad progredien-
dum. Ingrediuntur, ast paullo post radicum
implexibus implicantur, spinis se lacerant, et
primis gressibus terrefacti consilium missum
faciunt, tum citato gressu viam Regiam repe-
tunt. Sunt alii, numero quidem pauciore,
quos nequaquam expers consilii curiositas,
sed fervens, et constans gloriae cupiditas
ad subeundum lucum invitat, hi per vepres
et spinas ulterius penetrant, atque silvanam

obeunt usque, quo veritatem plus minus notabilem reperiunt.

Hac inventionione facta, revertuntur rursus atque ab hac veritate usque viam Regiam semitam condunt, et tum fit, ut quisquis iter faciens eam oculis adprehendat praetergrediens, cum oculis omnium pateat, quodque ad eam inveniendam efficaci solum voluntate et necessario patiente animo caruerit.

V e r i t a t e s.

Cassela die 24. Nov. Ex hujate Rei aerae supremo Collegio (Finantiali Ministerio) seqv. ad DD. Praefectos Enciclicae emanarunt:

„Domine Praefecte! Continuum bellum maritimum, ejusque consecarium: separatio Europaei Continentis ab aliis orbis partibus, quotidie majorem necessitatem imponunt agendi de mediis, quibus Incolae Regni hujus, atque generatim Continentis a communi hoste independentes reddantur.

Quanto hic scopus obtinetur exactius, tanto minus Vestphalia sentire debet sequelas prohibitae maritimae negotiationis, eo minoris considerationis jactura M. Britanniae accidere debet, quapropter non modo exigit, sed et imperat ratio status, et quorumvis subditorum Regni obligatio, unitis viribus eo adniti, ut autonomia haec quo fieri valet, perfecte impetretur.

Duae praepremis viae sunt ad salutarem hunc finem ducentes: *explicatius et perfectius Continentale commercium*; atque adjunctis tempo-

rum, atque relationibus *adcommodata nova Industriae nationalis Directio.*

Continendale quod attinet *Commercium*, omnem continuo operam impendit *Vestphalicum regimen* id quibusvis modis promovendi, partim erigendo novas, partim reparando antiquas commerciales vias, partim removendo obices, qui internae distractioni mercium offecerunt adhuc; at hoc solum non sufficit, scopus domesticum animandi commercium dimidia duntaxat parte impetratur, nisi nationis accedat conatus, et intensione quorumvis, quae ei praesto sunt, praesidiorum, conatus *Gubernii* gnaviter adjuverit.

Verum multo majoris hoc in argumento, ponderis, majorisque praestitutam *Autonomiam* adipiscendi efficaciae est mutata *domesticae Industriae directio.*

In nulla alia *Epocha* hujus agendi rationis ineundae major erat necessitas, nulloque unquam tempore adjunctorum ratio magis ei favit, ac hodierno; quippe interea quo maritimi *Commercii* prohibitio productorum domesticorum nostrorum distractionem ex parte una multifario restringit, atque non raro penitus impedit, fit altera vicissim ex parte, ut *Industriae* promerendi per eam largus et uber producendorum, novorum, ex oris exteris alias petitorum *Productorum* aperiatur campus, dum ea *Concursum* mercium a foris removet nostris, quibus *Vestphali* pretiorum aequalitatem tenendo hoc usque impares erant.

In patrio solo, et patriae subsidio solertiae deinceps Vestphalia id sibi procurandi operam dare debet, quod olim maritimum ei Commercium advexerat, Industriaeque acquirendi, quam olim remotarum orbis partium emtores occuparant, ad ea nunc objecta convertat se oportet, quae Continens expetit, ob maritimi vero Commercii prohibitionem ab exteris oris amplius percipere nequit.

Ita aucta cultura bituminum defectum adipis piscium maritimorum, major herbae nicotianae domesticae cultura defectum exoticae Tabacae, tela, gossipium Rubia Tinctoria, Glastum, et similia producta materialia tinctoria Indiarum supplere debebit. Cultura ovium perfectior, atque ad perfectionem projecta Fabricatio lanae lanificiumque exotica Texta, explicata apum Cultura conjuncta cultura plantarum domesticarum, sacharaceam substantiam continentium, ut Ind. Occid. Sacharo carere possimus, efficere debet.

Districtus (Departamentum) quoque D. V. creditus administrationi, non destituitur, neque materialibus crudis, neque subsidiis praestitutum scopum adipiscendi, dummodo administrationi parentes debita ad id ratione attentis reddantur et de modis, quos in hoc argumento ineundos habeant. exacte edoceantur.

Ad ferendum Judicium: partim, qualemnam actionem obseratio Maris ad singulas Regni provincias ad hoc tempus exeruerit,

partim: quatenus media natura soli et Incolarum Industria suppeditent, ad mutilatam hinc et inde promerendi solertiam adjuvandam, atque ei adjunctis temporum admensam directionem indendam, opus habeo maxima, qua potest, cum exactitudine et solertia elaborata descriptione hodierni status tam Commericii, quam opificiorum intra ambitum Monarchiae.

Dum hisce provinciam demando mihi intuitu D. V. crediti Districtus id genus descriptionem transmittendi, in appendice una communico Planum, occasione adumbrandae descriptionis pro basi assumendum, quae quo exactior et perfectior concinnata fuerit; tanto magis expectationis meae mensuram D. V. adimpletura est.

Illico perceptis praesentibus litteris proinde velit legendis intuitu hujus negotii argumentis vacare, atque laboris sui fructus, cum propositionibus suis intra trimestre transmittere.

Percipiat D. V. plenissimae aestimationis meae tesseram
Rei aerae Ministe r
(Subscr.) *Bilow.*

Parisiis die 21. Nov. Nudius tertius Imperator cum suo comitatu Domum Monetariam invisibat. Fertur: in ea de praesentibus 500,000 Fr. aureae et argenteae monetae cu di.

Gothenburgo 10. Nov. Occasione navi gationis per Fretum Danicum (Kattegat) Anglicana, Riga veniens Classicula Tatarus ad Winko Sand in syrtis incidit, verum post 4

horas rursus cursui apta effecta navigationem suam in Angliam prosecuta est.

Londino 14. Nov. Cancellarius Regni, et Regii Trib. Thesauriatus Marchioque Wellesley heri Windsorum profecti, medicos de valetudinis statu S. Maj. ante percontaturi, quam de hoc argumento ad utramque Curiam, quae cras congreganda, aliquid referant.

Maximo cum solatio intelligimus: spem esse certam recuperandae a Rege prope diem pristinae sanitatis.

G a l l i a.

Parisiis 22. Nov. De valetudine Regis Angliae singulare narratur factum: cum hilis animi videretur, Lex de prorogando Conventu SS. ei substrata est, hujus ille partem legere, tum subscribere: Georgius Napoléo. Ex hoc tempore huic subscribendi rationi inhaeret persvasus: adoptatum a se nomen legionibus suis victoriam, Consiliis sapientiam postliminio revectorum. Ex quo elucet: valetudinem M. Britannicae Majestatis ejus esse haudquamquam indolis: quae mentis, aliquot ante annis, vires convulsisset.

videntur. In boreali parte denuo sub auspiciis Blakci vireæ collectæ; prope Taragonam principio Nov. inter partem harum copiarum, & Galloum D. Souham agmen ad manus consequendas serio deventum; memorabile est in hoc nuncio de hoc eventu Hispanis ratione strenuitatis primum aliquam laudem tribui. Et in australi Hispania in regione Salamancie rursus hispanicum agmen sub ductu Ducis del Parque adversus exercitus, sub duce olim Ney, agmen offensiva ratione progreditur. In ea quoque plaga acre proelium locum habebat.

B I O G R A P H I A.

Joannes Carolus de Bute, Vice Comes, & Baro de Mounstuart &c. Nobilis hic exactis variis multa cum dexteritate Officis A. 1763 Status Minister creatus; regnoque diuturno, ac sumptuoso, quamquam feliciter gesto bello pene exhausto, pacem confecit, tantæ pro patria utilitatis: ut nulla ante fuerit utilior. Hoc grandi opere exacto abdicavit, vitam inter musas quiete acturus. Erat magnus philosophicarum disciplinarum patronus. Ejus cognitiones amplæ, mores inculpati erant, doctrinaque literarum prout earum professores, in eo promotorem repererunt. Inter complura amoris ejus in artes bonas exempla, suis sumptibus opus Botanicum solas in Anglia reperibiles plantas complectens 9 Tomis quartalis formæ excudi curavit, cujus 12 solum exemplaria edita, & sumtus editionis 1000 libras exaequabant. E. his reginae, defunctæ Duci Porthlandiæ, Clarissimo Comiti a Buffon, Nobili virgini Susannæ Makenstu, & Bauks, Lordio Montstuart obtigerunt, residua legatis faciendis reservata, & laminae destructæ. Obiit 16. Martii 1792.